



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 12. Ciceronis locus è Sophocle expressus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

quidem appareat: Diogenis enim verba sunt: οἷος
 ἢ αἰτίαν ἔχοντα περιβαίνουσι, ὅς αὐτὸς ἔχεν αὐτῶν, ὅτι ἔχει
 ἕτερον ἕτερον μίσητον ἔχει, ἠρωτιοτεν, εἰ ἔδδὲ τὸ δακτύλου
 ἕξ δακτύλων. Ea ita reddit interpretes: *Quum* videretur
 eam quidam vitiose concludens, non videri altero altero
 maius, Nec decem, inquit, digitorum longitudo sex
 longitudine. Ego autem hoc modo: *Cum* quidam, quae
 opinio erat, mollem, atque impudicum esse, ad eum referretur,
 non videri sibi aliud alio maius: interrogavit eum, ut
 ne id quidem, quod decem digitos longum esset, longius
 diceretur eo quod sex tantum digitos longum. Quid autem
 significaret, neque difficile est cogitare, neque honestum
 eloqui.

Ciceronis locus è Sophocle expressus.

CAPVT XII.

PRÆCLARVM sapientiae præceptum est, debere
 vnumquemque nostrum maiorem curam habere
 eius temporis quod post mortem nostram consecra-
 rum est, quam brevis illius, & exigui, quo in hac vita
 sumus. Itaque grauiter, & magnificè Cicero in qua-
 dam ad Atticum epistola: *Longum*, inquit, *illud tempus*
cum non ero, magis me mouet, quam hoc exiguum. Nam
 quod ita locutus est, *cum non ero*: in eo secutus est con-
 suetudinem vulgi: non quòd eos, qui ex hac vita tra-
 grassent, non amplius esse opinaretur. Quamquam
 autem hæc sententia suapte sponte in mentem ei ve-
 nire facillè potuerit; tamen facillè adducor, vt homo-
 nem eruditissimum, & in Græcorum poetarum le-
 ctione exercitatissimum cogitasse putem de loco So-
 phoclis, apud quem Antigone, cum fratrem insepul-
 tum iacere noller, & certò tamen sciret, si cum aduer-
 sus Creontis edictum sepeliisset, sibi quoque morien-
 dum

dam esse, non tamen propterea absterretur ab illius
 erga fratrem muneris functione: cum dicat, multo
 longius esse tempus, quo se placere, ac probari oportet
 inferis, apud quos perpetuò futura sit, quam iis
 qui in hac vita versantur. Verba ipsius hæc sunt:

ὅλη μετ' αὐτῷ κείσομαι, φίλα μέτα,
 ὅσα πανουργήσασ'. ἔπει πλείων χρόνον,
 ὄν δ' εἴ μ' ἀρέσκον τοῖς κάτω, τῶν ἐνθάδε.
 ἔπει γ' αἰεὶ κείσομαι.

Eclogium. Conciliaturæ. Diuinaculi. *Tres loci*
emendati apud Suetonium in Vitellio.

CAPVT XIII.

SCRIPSERAM iam pridem *elogij* nomen neque
 Græcum esse, neque Latinum: deinde miranti-
 bus quibusdam amicis dixeram, ubicumque *elogium*
 legeretur, neque *ellogium*, neque *eulogium*, sed *eclogium*
 dici debere. Id duo ex ipsis à me acceptum in me tor-
 terunt: cum enim de *elogij* nomine disputassent, vl-
 troque eos accusassent, qui vocem probam, & anti-
 quam nimis imperiose è ciuitate deturbare vellent:
 postremò eò venerunt, vt *elogium* quidem non, sed
eclogium rectè & emendatè dici docerent. Ac mihi
 quidem, ne viuam, si non & hæc, & talia omnia ri-
 diculo sunt. Sed interdum tamen nescio quid stoma-
 chi mouent. Nunc expungamus præclarum istud
elogij nomen è quodam Suetonij loco, in quo iam pridem
 infedit. Ita enim vulgo legitur in Vitellio: *Ex-
 titaque elogij ad Q. Vitellium D. Augusti quaestorem libel-
 lus, quo coninetur, Vitellios Fauno Aboriginum rege, &
 Vitellia, qua multis locis pro nomine coleretur, ortos, toto
 Latino imperasse.* Sed quis iste est libellus *elogij*, aut
 à quo scriptus? An fatuum est id quærere: cum
 in vetere